



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Qualis visio sit vita æterna?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanferint: & paulo post. Hoc enim est, unde semper solliciti, & in timore, & tremore humilemur, necesse est sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus nosse possumus, vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse nobis penitus impossibile est.

VERSUS 3.

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

QVÆSTIO I.

Qualis visio sit vita æterna?

Visio non est integra beatitudo.
§. 1. **Q**uam vitam æternam intelligat, mox declarat; nempe ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. & autem propositum esse videtur: ut causa reddatur cur dicat, se dare. Vitam æternam magna pars Theologorum interpretatur, de clara, & beata Dei cognitione, qua in cælo electi fruuntur. Adeo ut inde conficere conentur, essentiali beatitudinem in sola visione consistere: quod necesse non est, etsi demus Dominum de beatitudine loqui: nam beatitudo est prima eius pars sit clara visio, non tamen eam integram efficit. Dupliciter vero interpretantur patres, Catholici interpretet, atque etiam hæretici. Cyprianus ad Demetrium de fide accipit. Deum vel se cognoscite, quia Christus adueniens hoc admonet, & docet, dicens: hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Credite illi qui omnino non saluti. Credite illi, qui hac omnia futuræ prædixit. Credite illi, qui credentibus premium vite æternæ dabit.

Augustinus etiam tract. 105. Sic te igitur, filius glorificat, ut omnibus quos dedisti ei cognitum te faciat. Alios nominare non est necesse. Hos sequitur Maldonatus. Et ex adversariis Caluinus. At Hunnius de celesti visione interpretatur.

§. 2. Rectissime utraque interpretatio coniungitur: Christus vitam æternam cum nominat, sine dubio de illa loquitur, quæ vere æterna est, quæ est cor, quos dedit pater, de qua dicit. Volo ut ubi ego sum, sit & minister meus. Hæc enim vere ac proprie est æterna. Deinde hanc inchoat à vero principio, & semine quæ est vera Dei cognitio, quæ in hac vita incipit, in illa perficitur. Hæc est etiam Augustini loco citato sententia, Porro si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis vivere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna. Tunc ergo cognitio Dei perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa Dei tunc clarificatio, quia summa gloria. Eodem modo etiam Prosper Aquitanus intellexit; nam cognitio vocatur vita æterna si tota spectetur, ut perfecta est, parit, si accipiat, ut semen est. Verba Prosperi contra collatorem. c. 37. Frustra ergo ut invidiam damnati erroris euadas, summam salutis negas in fidei nostra ditione consistere: cum omnino salus nisi ex fide esse non possit: iustus enim ex fide vivit. Quoniam veritas dicit: Amen, amen, dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, & credit in eum, qui me misit, habet vitam æternam, &c. Et iterum: hæc est vita æterna, ut cognoscant, &c. cum itaque huic fidei, quam ideo meritis, & laudibus honorasti, qui manus eam inter liberi arbitrii bona, quam inter Dei dona numerari, æternam beatitudinemque vitam conferat partem.

Vbi notandum est, quod ait: *Qui credit habet vitam æternam*; nempe in spe, in herba, arrhabonem habet. Deinde adiungit, fide partem vitam æternam.

Quod vero Lutherus multis verbis hic fiduciationem exaggerat, extra rem, est. Certitudo enim vite æternæ non modo fidei certitudinem, sed etiam bonorum operum, & perseverantia requirit.

§. 3. Non minus imperite cognitionem vrgit: nam sola fide iubet esse contentos: & Si opera adiunguntur, Christi meritis detrahi clamat. Cognitio est, inquit, vita æterna. Et quæ cognitio? nempe, me per Christum fore saluum, quamvis opera desint. Quocirca etiam hoc loco. S. Hilarionem condemnat, post diuturnum Dei servitium, & miracula de corpore exire trepidantem. Sequere excitantem recordatione vite antea.

At vero iniuriam facit sanctissimo viro. Non enim ille suis meritis sine gratia Christi saluari se putavit, nondum insuperat. tum Pelagius, sed vita antea. Et se consolabatur, quod nihil sibi conscius esset, ut qui peccata penitentia delevisset, eamque Deo uti omnia bona gratia divina accepta referret. Verba autem confidentis in Christo, & bona conscientia fruientis, non vanè gloriantis. Alioquin nec David dicere debuisset: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Nec Ezechias innocentia suæ mentionem inferre. Porro Hilarionem ad mortem semper S. Hilarionem fuisse, eadem historia ostendit. Cum habita non daret, inquit Hieronymus in vita eius, in tugurio annos senes, natus decem, & octo, latrones ad eum nocte venerunt. Porro clara luce reperto puero, quasi per iocum. Quid, inquit, faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille post alia respondet. Possunt, possunt occidi, & ideo latrones non timo, qui morti paratus sum.

Non autem damnatum esse, etiam quæ post mortem fecit miracula testantur. Iamque modicus, inquit Hieronymus. calor tæpebat in pectore, nec prater sensum, quicquid viui hominis supererat: & tamen apertis oculis loquebatur. Egrede quid times? Egrede anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annos servasti Christo, & mortem times? in hac verba exhalavit spiritum. Hefychius post decem menses corpus eius furatus est, & in antiquo monasterio condidit, ille tunicam, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viveret integro, tantisque fragrant odoribus, ut delibutum vnguentis videretur. Addit Hieronymus. Cernas vique hodie miram inter Palestinos & Cyprios contentione, hic corpus Hilarionis illis spiritum se habere certantibus, & tamen in utrisque locis, magna quotidie signa sunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia illum locum dilexerit. Hæc ad S. Hilarionis defensionem.

QVÆSTIO II.

An Pater solus Deus?

§. 1. **A**rianorum famosissimum est hoc loco argumentum. Hic patrem appellat solum Deum, & filium excludit. Ita apud Hil. l. 4. & 5. de Trinit. Nazianz. orat. 4. Ambr. l. 5. de fide Augustinum tract. 105. Apud Theophylactum ita proponunt: *ὁ πατὴρ θεὸς ἀληθινός, ὁ υἱὸς ὁδὸς φερόμενος. Πater solus est verus Deus filius ergo falsus.* Quibus ille reponit similem argumentationem: *ὁ υἱὸς τὸ φερόμενος, filius est lumen verum, non sequitur tamen, patrem esse lumen falsum.*

S. Athanasius de suscepta humana natura Christi Christi divinitatem ex hoc loco probat. *καὶ ὅτι λέγει ὁ υἱὸς & vita αἰώνου ἐν τῷ πατρὶ ἰσχυρῶς διαγρησάμενος. αὐτὸν ἐστὶν ἡ αἰώνιος & ζωὴ καὶ θεός.* Et cum dicit Dominus, in Evangelio secundum Ioannem, hæc est vita æterna, &c. Novimus enim, inquit, venisse filium Dei, deditque nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deum, & finis in vero filio eius Iesu Christo, qui verus est Deus, & vita æterna.

Ambro.